



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MANNARENSIS** \*NONNULLIS DETRACTIS TERRITORIIS A DIOECESI IAFFNENSI IN

**TAPROBANE NOVA CONDITUR DIOECESIS «MANNARENSIS»** NOMINE Qui volente Deo ad Ecclesiae sanctae gubernacula sedemus, in id profecto intentum animum semper habemus, in eoque vires collocamus, quo modo, nempe, singularum Ecclesiarum tum necessitatibus provideamus, tum utilitatibus consulamus. Ubi enim utrique rei diligenter satis fiat, ibi opitulante Dei gratia atque Spiritus Sancti operante virtute, fructus in dies laetiores colligi posse sperare licet. Quam ob rem, cum Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi in eam sententiam iverint, ut, divisa dioecesi Iaffnensi in Taprobane, vulgo Sri Lanka, nova constitueretur, Nos id in fidelium eius Ecclesiae cedere posse arbitrati, haec quae sequuntur apostolica Nostra auctoritate statuimus. Civiles districtus, quos dicunt, Mannar et Vavuniya, a dioecesi Iaffnensi distrahimus, eosque in novae dioecesis formam redigimus, « Mannarensis » cognominandae, quam archidioecesi Metropolitanae Columbensi in Taprobane suffraganeam facimus. Episcopus, cui Sedes haec credetur, domicilium suum un urbe Mannar collocabit, cathedra in templo S. Sebastiani, quod ibidem surgit, posita, cui omnia iura cathedralium templorum facimus. Item statuimus ut pro Canonicis Consultores dioecesani deligantur qui Episcopo assint opere consilio. Cetera omnia quae ad dioecesis administrationem, electionem Vicarii Capitularis, mensam, iura cleri atque populi, hisque similia, respiciant, iure Canonico ad amussim temperentur. Ceterum, quae iussimus Venerabilis Frater Nicolaus Rotunno, Archiepiscopus titulo Minorensis atque in Sri Lanka Apostolicus Pro-Nuntius, exsequenda curabit, vel quem ipse legaverit, modo virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Idem vero documenta exarari faciet atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide mittet, rite subsignata atque sigillo impressa. Contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto et vicesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo primo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

AGNELLO Card. ROSSI

*S. Congr. pro Gentium Evang. Praefectus*

\*A.A.S., vol. LXXIII (1981), n. 7, pp. 473-474

© Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana